



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Miscellanea.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## TITULUS XXVII. SOL.

### Laudes.

**F**ecit duo luminaria magna. Gen. 1. 16. Philosophus interrogatus ab Adriano Imp. quid est Sol? respondit: cæli oculus. Docent Astronomi, solem in se continere quantitatem terræ centies & sexagesies; eumque distare à terra quatuor millionibus milliariis. Unâ horâ percurrit unum millionem, centum quadraginta millia milliariis. Cornelius.

*Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Pl. 18. 6. Sol Hebræis *scemes*, hoc est, *sponsus*, dicitur: terræ videlicet, quam amat, & fecundam reddit. Doultreman. l. 1. c. 1. Sect. 4. Ipse pulcher est, ut sponsus, velox, & ingens, gigantis instar. Oculis lucem ipse largitur, ut menti Deus. Rerum, quæ sub sensum cadunt, omnium Sol pulcherrimus est, ut Deus eorum, quæ mente percipiuntur. S. Gregor. Naz. or. 2. de recta rat. disserendi de Deo.

*Oritur Sol, & occidit &c.* Ecclesiastica 1. 6. Sol Hebr. dicitur *Scemes*, id est, *minister*. quod quasi minister subserviat Deo, & naturæ, in rerum generatione: quodque nobis operantibus ministrat, & quasi facem præferat. Cornelius hic.

*Lustrans universa in circuitu pergit spiritus.* Ecclæ 1. 6. Literali sensu, spiritum vocat Solem, propter motus velocitatem. Olympodorus hic.

*Non occidet ultra Sol.* Il. 60. 20. id est, interprete Oleastro: non amittes lætitiâ tuam.

*Et savitas in pennis ejus.* Malach. 4. 2. Hebr. *in alis ejus*. Poëtice pennas vocat radios: quia vestiunt, & ornant, solem; sicut

pennæ avem. 2. quia Sol celerimè movetur, & quasi volat, ut avis. Cornelius hic.

Diei præfecit Pater ille solem, tanquam magnum regem. Philo Jud. l. de Mundi opificio.

Veluti discum aureum, tanquam in mensa solem in cælo posuit Deus. S. Chrysost. in Pl. 13.

Hic prætereundum non est, quæ de hoc magno præfide hujus cæli eleganter prædicare solent Physici: quod sit fons ignis ætherei; cor cæli, sive mens, & temperatio Mundi. Rupertus l. 1. in Gen. c. 41.

### Miscellanea.

*Samson.* Judic 13. 24. Hebr. idem est, quod *Sol lætitiæ*; vel potius parvus Sol, soliculus, solillus. Chaldaice *minister*. Cornelius hic.

*Sol obscurabitur.* Matth. 24. 29. Aliqui dicunt, quod luminaria ista non obscurabuntur, nisi comparatione veræ lucis: quia tanta erit claritas Judicis venientis, ut ejus respectu omnia obscurari dicantur. Ità dicit Hieron. apud Dion. Carth. hic.

*Tenebræ factæ sunt &c.* Matth. 27. 45. Sol planè fuit obscuratus; ità ut in toto orbe, juxta Chrysost. Theophil. Euthym. &c. densæ essent tenebræ, quales in Ægypto Ex. 10. 23.

S. Deicolus abb. fessus ex itinere chlamydem deponere voluit - Servis illam officiosè servare volentibus, ipse eam ad radium solis per fenestram ingredientem suspendit, trium horarum spatio pependit. Simile miraculum fecerunt S. Goar Presbyter 6. Julij, S. Florentius Ep. Argent. 7. Novemb. S. Amabilis Presbyter. 19. Oct. & alii. Bollandus 18. Jan.

## TITULUS XXVIII. SOLATIA.

### §. I.

#### Symbola divinatorum.

**E**t fecit Deus firmamentum, divinita, aquas &c. Gen. 1. 7. Firmamentum anima rationalis, Aquæ superiores, sancta desideria, & munda cogitationes: inferiores, terrena desideria, & immunda cogitationes. Hugo Card. hic.

*Terra, ad quam ingredieris possidentiam &c.* Deut. 11. 10. Ægyptus terrestribus aquis Nilij; terra promissionis caelestibus pluvijs, irrigatur. Sic Mundani terrenis solatijs; viri autem spirituales caelestibus perfunduntur. Barradius t. 4. l. 5. c. 7.

*Creabit Dominus nubem per diem.* Il. 4. 5. Symbolicè, nubes hæc in nocte lucens signi-

*Polyanth. Sacra. Tom. II.*

ficat consolationem; quâ Christus Sanctis tenebras, & calamitates, lenit. Cornelius hic.

*Fecit angelus medium fornacis, quasi ventum rovis flantem,* Dan. 3. 50. Sic Paraclytus tribulationis fornacem consolatione suâ, quasi ventò roris, perflat. Barradius t. 4. l. 5. c. 4.

Ros in flores illabens. Lem: *Tolerata præmia noctis.* Bovius.

### §. II.

*Solatia extra Deum nulla, aut falsa.*  
*Ex Veteri.*

*Abcondit se Adam.* Gen. 3. 8. Deliciis abundabat Adam, fœcia formosissima, mensæ lautissimæ. Inter hæc tamen tanta solatia, Ppp p a ecce